C[illegible] Jagell.
[illegible] ord.

1674 mense Junio. Poezya 3056.

Sierzycki Sim. Erasm: Amphitheatrum Magnificentiae laureatae, etc.

AMPHITHEATRUM MAGNIFICENTIÆ LAUREATÆ,

XXIII. Columnis, ad Ritum Prisci Ævi,
Cum SYMBOLIS, & LEMMATIBUS,
VIRTUTI & HONORI; XXIII. VV.DD. SECUNDÆ LAUREÆ CANDIDATORUM.
Dum
SUB FELICIBUS AUSPICIIS.
ILLUSTRISSIMI, & REVERENDISSIMI PRINCIPIS,
AC DOMINI,

D. ANDREÆ TRZEBICKI,

DEI, & Apostolicæ Sedis Gratiâ,
EPISCOPI CRACOVIENSIS,
DUCIS SEVERIÆ,
Almæ Vniuersitatis Cracouiensis, CANCELLARII Fauentissimi;
A
PERILLUSTRI, & ADMODUM REVERENDO DOMINO,
DOMINO

M. ANDREA KUCHARSKI.

SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORE, & PROFESSORE,
Ecclesiarum, Crac: Cathedralis Canonico, & Collegiatæ SS: Omnium Præposito, Curato Prossouien: Scholarum Vladislauia - Nouoduorscianarum & Contubernii Hierosolymitani Prouisore, Maioris Collegii Seniore Patre, Academiæ Cracouiensis, PROCANCELLARIO dignissimo.
Post Certaminis Philosophici, Examinisq; rigidi superatos Labores,
MAGISTERII IN ARTIBUS, ET IN PHILOSOPHIA DOCTORATûS LICENTIAM Consequerentur,
A
SIMONE ERASMO SIERZYCKI, Ord: Canon: Regul: Conuentûs Miechouiensis Professo, eiusdem Laureæ Candidato, cum applausu Panegyrico Erectum, Luciq; Publicæ
CONSECRATUM.
Anno Salutis, M. DC. LXXIV. *Mense* Junio *Die*

CASIMIRIÆ AD CRACOVIAM
In Officina Typographica Balthasari Smieszkowic S. R. M. Typogr:



JLLVSTRI, ET ADMODVM REVERENDO DOMINO, DOMINO

AVGVSTINO WOLSKI,

ECCLESIÆ CATHEDRALIS CAMENECENSIS

CANONICO,

S. HEDVIGIS AD CRACOVIAM,

PRÆPOSITO.

ORDINIS CANONICI, SS: SEPVLCHRI D. HIEROSOLYMITANI, GENERALIS CONVENTVS MIECHOVIENSIS,

CVSTODI,

DOMINO, ET PATRONO

COLENDISSIMO.

Magnus ab omni æuo, immortalium operum Architectus, animus humanus; cùm nihil seipso magnificentius in Orbe habeat; mirum est, quòd velut viribus suis diffisus, augustiùs aliquid in ijs, supra quæ positus est, amplitudine suâ indignis, momentoq; in irritum labentibus curis inquirat. JLLVSTRIS, & ADMODVM REVERENDE DOMINE. *Moles propè immensas, & fastigio suo nubibus ipsis minantes, tot gentium, & seculorum anhelitu erigit; opes, & operas imperiorum fatigat; vt abortiuas naturæ maculas, si non inuenerit in lapide, crustis & artificiosis erroribus fingat. Saxa è montibus suis, & cauernarum visceribus gementia propè eruit; vt populorum gemitu stent Colossi, sine motu, sine spiritu; qui tot hominum spiritum intercluserunt. Amphitheatra deniq; in Vrbibus, non solida tantùm; sed pensilia quoq;, vt Romæ olim statuit; vt in vna pensili cauea, populum Orbis*

Dominum

Dominum, imò ipsum Orbem terrarum circumferat. Cùm tamen nulla moles augustior, nullum capacius, & magnificentius Theatrum sit; quàm sibi ipse animus noster, non humanis tantùm oculis, sed diuino quoq; intuitu dignus; si seipsum noscat, & contempletur; si operam, quam in poliendis marmoribus frustra impendit, ad seipsum transferat excolendum. Pulcherrimum sane spectaculum, anima Viri Sapientis; quæ Orbem terrarum, non complexa tantùm, sed supergressa quoq;, ipsa sibi ingens Amphitheatrum, & Orbis compendium, ceu in paruo Mirmecidis opere, summa omnia claudit. Non marmora ergo, sed animorum Columnas, hic TIBI *sisto* ILLVSTRIS & ADMODVM REVERENDE DOMINE, *Spectaculum profectò Sacro obtutu* TVO, *non indignum. Mentium quippe humanarum Sacræ latumiæ sunt, ex quibus Amphitheatralis hæc Maiestas assurrexit. Nullus hîc Lysippus, vel Praxiteles, aut Diopœnus, ferrum in marmora egit; Cælatura hæc virtutis, & Sapientiæ Opus, ferrum non sentijt, viuam tamen animorum effigiem, non celauit. Magnificentia hæc Laureata, si quod Amphitheatrum gloriæ habet; ab Arte, & Magisterio Sapientiæ venit; quæ cùm in excolendis ingenijs maximè insudet, cultissimo animo* TVO *debetur. Spectatissimum illud pectus* TVVM *Virtuti, & Sapientiæ Sacrum, Amphitheatro nostro apprimè congruit; cùm quod hîc in ænigmate cernitur; id viua in eo Oracula spirent. Nihil hîc in animorum Encomijs, magnum & illustre, quod in* TE *ad amussim non exactum; quamvisq; illud Religiosæ virtutis nube obtegas; non ideò tamen, etiam reluctante, modestissimo de* TE *sensu* TVO, *Amphitheatrum gloriæ suæ effugiet. Quanquam enim Sacræ Custodum Sepulchri Domini Militiæ, vel ideo adscribi volueris, vt mundo sepultus, soli* DEO *viueres; produxit* TE *nihilominus, eminens Virtus* TVA, *in faciem publicam; reuoluitq; Lapidem ab Ostio monumenti Hierosolymitani, vt eximia decora, & merita* TVA *reuelaret. Frustra quippè, quod diligitur, latere cupit; sequuntur illud vbiq; gratiæ suæ, ac velut adamantem, radij sui produnt. Annus ille Gratiæ Magni Iubilei, qui* TE *Ordini nostro dedit, idem* TIBI, *gratiarum omnium, aurea porta fuit. Aperuit hanc* TIBI, *in cuius manibus vota Religiosa emisisti, Vir non Aureus tantum, sed ipsa gratiarum Aurifodina, Admodùm Reuerendus olim* STANISLAVS RADZKI, *S. Theologiæ Doctor, Custos Conuentûs Miechouiensis, Præpositus Preuorscensis, ac Prouincialis Russiæ, in quo excelsi animi, cum incomparabili morum suauitate, mira consensio; non Ideam Virtutis tantùm, sed delicium quoq; fecerat. Viderat ille tùm, & probauerat eas in* TE *dotes; quas deinceps Laurus Academica Coronauit, quas* FASCIA GEMBICIANA, *gratiarum sinu excepit; dum* ILLVSTRISSIMO IOANNI GEMBICKI PRÆSVLI *tùm Culmensi, vnicè dilectus, arma Suecorum hostilia, extra Patriam, cum eo ita declinasti, vt eximijs dotibus, cor eius in* TE *inclinaueris; dignusq; habitus sis, qui ab eo, ad adeundam Episcopatûs*

Plocensis

Plocensis possessionem deligereris. Certatum est de TE *inter* FASCIAM & ASCIAM *consanguineas; vicitq; Magni* KORYCINIj ASCIA, *qui* TE *Nessæ sibi obuiantem à primo aspectu, ad cor etiam admisit. Diuinum profectò quiddam, magnis mentibus inditum est, quod in animorum intima, facile introeant; qualis illa* ILLVSTRISS, & REVERENDIS: de Pilcá ALBERTI KORYCINSKI, *Archiep. Leopoliensis feliciter moderni,* Præpositi nostri Generalis Miechouiensis, *summâ Virtute, Prudentiâ, & Authoritate,* Præsulis ac Senatoris *Amplissimi, mens alta & perspicax; cui pectus* TVVM, *ceu crystallum Solis radio, ita patuit; vt id omne vno aspectu in* TE *comprehenderit, quod magno deinceps affectu dignum coronaret. Iudicium hoc magni* Prælulis, *& sensus de* TE *honorificus, Virtute* TVA *in dies auctus, eò processerat; vt nulla honorum celsitudo, magnitudinem eius exciperet; cuius* TV, *solennibus auspicijs, præcipuè ad id delectus, non interfueris. Vidit* TE *Cathedra Camenecensis; cùm Præsu*lem suum, *Splendidissimo illo Magnificentiæ* KORYCINIANæ *apparatu exciperet; cumq; eximia decora* TVA, *in amoribus & delicijs ferret; indecorum censuit, si eum, quem amanti sinu exceperat, gremio Capituli, & corde receptum Canonicum suum, Magni* Præsulis *gratiâ, non haberet. Itum est deinceps ad Archiepiscopatûs Leopoliensis decus celsissimum; cumq; Vrbem illam, Cathedræ suæ, & Leonis Roxolani sedem magnanimam summo illo splendore, & omnium voto Archipræsul* KORYCINIVS *intraret; Spectatissima tum dignitas quoq;* TVA *eminuit; cùm ad Archipræsuleam Crucem delectus, Præsuleæ & Senatoriæ Purpuræ, cum Purpurata Cruce* TVA *praires Antesignanus. Secutæ sunt præeuntem omnium gratiæ; dilectaq; & hic Virtus* TVA, *intima pectorum, & propensos affectus meruit; magno vbiq; Ordinis nostri honore; ad quem ceu ad fontem suum redibat; quidquid in prærogatiuam virtutis* TVæ *vbiq; redundauit. Pulcherrimum id nobis, quidquid in* TE *honorificum; cum certatim honores in* TE, *tantò ampliùs effunderentur, quantò ijs modestiùs repugnares. Neque verò commemorare singula opus est, quibus Ordo noster Hierosolymitanus certatim* TE *ornatum videre voluit; insignis Custodiæ Miechouiensis Prælatura, magno omnium consensu, & voto ad* TE *delata, adumbrat hoc totum. Vidimus omnes quomodo vicerit in* TE, *vt Virtus, ita & honor ætatem; satisq; maturuerat, quod eximiæ in regendo Prudentiæ, & dexteritati, in* TE *suffecit. Heroicus ille animi* TVI *Zelus, Solicitudo, Vigilantia; ac præcipuè plena Paternæ dulcedinis, erga omnes charitas, quantum* TIBI *suffragatæ sint; iteratò pro* TE *rursus omnium calculo,* Custos *iterum Miechouiensis docuisti. Nimirum hoc egit, dilectus ille à* TE *decor domûs* DEI, *quem piâ & magnificâ* KORYCINIANA *liberalitate, ita promouisti; vt nouo vbiq; nitore, Basilicam Miechouiensem, ceu nouam Sponsam, ac descendentem de Cælo* Hierusalem *feceris;*

dignissi-

dignissimus proinde visus, á quo Præpositura S. HEDVIGIS *ad Craco-uiam, in ruderibus suis sepulta, vitalem quasi Spiritum, & nouam animam reciperet. Inspirasti profectò, in informem illam tanti operis massam, spiraculum vitæ; cùm ingenti curâ & sumptu, non tàm facta, quàm nata potiùs, intra breue tempus, ita surrexerit; vt iam non aliud, nisi vltimam Apotheoseós suæ manum præstoletur. Tantis ergo meritis & virtutibus, Amphitheatrum gloriæ* TVæ *constat, cuius ego minimam partem reuelaui; ne modestiæ* TVæ *vim facere viderer. Scio quippè nihil* TIBI *acerbius esse; quàm si id oculis humanis pateat, in quo* TV, *solam oculi Diuini pupillam respicis. Cortinâ proinde Tripodem Oraculi obduco, & claudo; molemq́ hanc Magnificentiæ Laureatæ, duraturum omni æuo cultûs in* TE, *& venerationis meæ, Amphitheatrum esse volo. in quo* TE *ad Ordinis nostri decus immortale legat, & suspiciat omnis posteritas, totq́* TIBI *Secula, victuri Nominis ferat; quot* TV *gloriæ* TVæ, *ex Virtutibus fecisti Columnas.*

Jta voueo & apprecor,

TVÆ ILLVSTRIS, & ADMODVM REVERENDÆ DOMINATIONIS,

Deditissimus Cliens,

& indignus coram DEO *Exorator,*

Fr. SIMON ERASMVS SIERZYCKI,
Conventûs Miechouiensis Professus,
Secundæ Laureæ CANDIDATVS.

DIVO

D. JOANNI CANTIO,

Laureati Operis Academici, BASI FIRMISSIMÆ, PRIMOQ; LAPIDI ANGVLARI;

Votivum debiti Cultûs MONVMENTVM.

SEculis ingens Opus, & perenni
Conditum famæ, patrijsq; Musis
Pallas augusti meditatur altâ
Mole Theatri.

Æmulas vires Latio, paremq;
Mempheos curis animum stupendis,
Diua quid tentat? trabeata Regum
Gesta quid vrget?

Orbe deuicto stupor ille totis,
Jmperî gazis stetit, & Quirinæ
Vrbis, exhaustos rapuit superbo
Pegmate sumptus.

Diua conatus operosa cæptos
Mente sublimi tamen, & trecentis
Promouet curis, nec ab auspicato
Munere cessat.

Nempe quod firmas adamante multo;
Hoc opus tecum, stabili locauit
Jn Basi Pallas, super Angulari
Cardine surgens.

Lemnias moles, Rhodiumq; pondus,
Æsq; famosum Bimaris Corynthi,
Vincit inuictæ, Tua Sanctitatis
Diue Columna.

Jlla Regalem Jagelonis Aulam
Firmat æternùm; tribus illa sêclis
Sceptra Doctorum, Cathedras, opusq;
Sustinet omne.

Quidquid Arctôo super Orbe doctis
Claret Augustum Laribus, virisq;

B A Tuis

A Tuis claret meritis, Tuoq;
Nomine constat.
Flos Togatorum, Sapientis æui
Candor, & Virtus; Tua purioris
Dona sunt vitæ, quibus aucta nostræ
Gloria vitæ.
Vnicum rebus Columen Togatis,
Seculum felix, & amica nobis
Te dedit Cæli bonitas; vt omnis
Cardo stet in Te.
A Tuis & nos meritis, & Aris,
Jmus ad Regni faciem Poloni;
Quodq; molimur, Tibi consecramus
Diue Theatrum.
Tota Majestas operis, quod vrgent
Laureæ nostræ, Tua Sanctitas est;
Hâc super, nostras dabis æuiternùm
Stare Columnas.

PERILLVSTRI & ADMODVM REVERENDO DOMINO,

DOMINO

M. ANDREÆ KVCHARSKI

SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORI & PROFESSORI,

Ecclesiarum Crac: Cathedr: Canonico, & Collegiatæ SS: Omnium Præposito, Curato Prossouien: Scholarum Vladislauiano-Nouoduorscianarum, & Contubernii Hierosolymitani Prouisori, Maioris Collegii Seniori Patri, Academiæ Cracouiensis

PROCANCELLARIO

DIGNISSIMO.

Profundæ venerationis, & debitæ magnis meritis, honorificentissimæ memoriæ plena,

GRATIARVM ACTIO PANEGYRICA.

SVblimes Operas, Cœloq; minantia Saxa,
Pondera terrarum, vastis conatibus Orbem,
Sumptibus immensis populos, insanaq; Regum
Pectora, Barbaricis vrgentia molibus olim,
Quid iuuat exesa carie, trunciq; leuare
Artubus, & laceri miracula quærere fastus?
Si tantas confudit opes, spes vana? grauiq;
Corruit Occasu, vestigia nulla relinquens;
Infelixq; suo sub pondere condita; marmor
Tot pretijs, diros tumuli congessit in vsus.
Gloria Thebanorum, centum iacet obruta portis;
Dædaleasq; Artes, portentososq; recessus,
Mille vias, totidemq; vices, erroribus ipsis
Error ad interitum traxit; Cretæq; cadauer
Grande gemit, medioq; iacet vis Dædala ponto.
Par Lemno fortuna, Rhodo par, maxima gazas
Ægyptus, Phariosq; dolet perijsse labores,
Mille Columnarumq; struem. Cui Roma nefasto
In lapides sumptu, non ingens æmula tantum;
Sed victrix, sed tota stupor, cum damna requirit,
Adiunxit vanas lachrymas, & viscera mandit.
Nempè fatigatis opibus, concessit edaci
In spolium senio vis inconsulta, tumensq;
Fastus, & æterno respersit secula probro.
Omnibus his longè felicior vnica moles;
Quam super immoto fundamine condidit, Orbis
Regnatrix, sceptriq; potens Sapientia, virtus.
Illa Theatrales Pompas, & Cæsaris ingens
Dictatoris opus, portentaq; vitrea Scauri,
Totq; Trophæorum Pompeî maxima vicit
Æterno monumenta situ; durabit in æuum,
Quod ingens animus, quod virtus seria struxit.
Quæ tamen ingenij fuerit vis tanta, pusillis
Pectoribus, rudibusq; animis? nisi summe virorum,
Tota Coronati facies, & norma laboris,
Exemplo formata Tuo, Celsissima tandem
Tolleret augustæ sursum fastigia molis.
Tu specimen primum, sapientis Regula vitæ,
Maiorum Senij Tu gloria, Cardoq; nostri,
Tu fueras Operis; flos spectatissime Prisci
Temporis, ingenijsq; bonis Tu pectus amicum.
Virtutis specimen non est augustius vllum;
Quàm quod ad exemplum, meritis constantibus in Te
Formauit diuturna manus, fecitq; Togatæ
Maiestatis Opus, Pharijs quod mille Columnis
Celsiùs assurgit, tantoq; Atlante perennat.

O quo.

O quoties rerum Compages vasta, feraxq;
Curarum, validisq; minax, & saeua procellis,
Te sibi delegit, magnis conatibus vnum;
Agnouitq; parem! cum parcere nescius inter
Ardua, momentis grauibus, Tibi maximus ipse
Instares Operum Exactor vigil vndiq;, & Argus,
Publica Res quoties, & Cracia Stöa poposcit.
Ille Vladislai Regum flos aureus, illud
Orbis delicium, facies augusta Poloni
Nominis, ille stupor fortunae, summaq; pacis
Linea, saepe Tuis commissa negotia curis
Iudice Regnorum solio laudauit, & alti
Pectoris erectos sensus, rebusq; gerendis
Ante coronatas trabeas decreuerat aptos
Inde Tibi Procerum mentes patuêre, fauorq;
Ex virtute datus, constans, vulgataq; paßim
Laus animi prudentis; honos quàm verus vbiq;
Maiorum pretio, nunquam cessante secutus.
Tu Cathedrae Lumen, Tu pernix mente Sophorum
Antistes, sapiens animo, virtute probatus,
Theologi Praeses studij, sublimibus ipse
Par semper studijs, docto certamine victor,
Iudicij speculum, Cynosura, & gemma Virorum.
Hinc Tibi Sceptrorum, per tot fastigia munus
Rectorale datum toties, semperq; decoris
Fascibus, ex voto magni respondit honoris.
Nec minor illa, Sacri pietas plenißima zeli,
Excelsiq; animi virtus; quae grandibus egit
Rem prope neglectam studijs, summoq; labore;
Vt columen nostrum, lux aurea, vita, decusq;,
Divus amor Lechiae, Patriarchaq; noster, & omnis
Gloria, Romuleas impleret CANTIVS arces,
Ad ritus propior solennes, suetaq; Diuis
Ex alto Romae decerni Oracula nutu.
Hoc Tibi debetur, quod opus pulcherrimum amanti
Pectore susceptum, necdum Tua seria cesset
Magnanimi cordis, superis gratißima cura,
Sumptibus, atq; animi totis vrgere medullis.
Ergo columnarum series, Tu maxima nobis,
Emeritae virtutis apex, & grande theatrum,
Totaq; doctrinae facies; quam iure coronat

Immor-

Immortalis honos, & fastis digna, cedrisq;
Gratia, mille trahens ad posthuma tempora laudes.
Haec Tibi non Pharium marmor, non Lemnia ponet,
Viscera terrarum, Lybico nec sole calentes,
Crustratasq; operas maculis; sed viscere cordis,
Aeternas statuet moles, cultuq; perenni
Vincet, ab immensis surgentia marmora gazis,
Nyliacas turres, & Gangis pondus eburnum;
Inscribens operi votum, quòd mille per Orbem
Vota ferat, ; Cracij moles augusta Lycei
Vt nunquam nutet, solidâ, Te stante Columnâ.

EXCELLENTISSIMIS DOMINIS,

DD. EXAMINATORIBVS.

EXCELLENTISSIMO, AC DOCTISSIMO DOMINO,

M. NICOLAO BROSCIO,

Collegae Maiori, Astrologiae, & Geometriae Ordinario Professori, S.R.M Secretario, ac interea Philos: Facult: DECANO.

EXCELLENTISSIMO, ET ADMODVM REVERENDO D.

M. IOANNI MICHALSKI,

Collegae Maiori, Regio Profess: ad S. ANNAM CANONICO.

EXCELLENTISSIMO DOMINO,

M. STANISLAO BIEZANOWSKI,

Philos: Doctori, Collegae Minori, Ord: Pöëseos PROFESSORI.

Ex sumptuosis Aeris Corynthiaci Columnis, Gratitudinis, & Obseruantiae;
PIGNVS IMMORTALE.

CVrae perennes surgite Maximo
Ductae metallo, secula vos sibi
Poscunt, vt immortale nomen
Aere Corynthiaco recusum;
Stet aeuiternis Pegasidum super
Fultum columnis, vertice Thespio,
Dudum laboratasq; toto
Orbe ferat, superetq; moles.
Caelata non hic sudat Olympicis
Structura ludis; Machina nec Rhodum

C Ingens

Sierzycki Simon Erasm: Amfiteatrum magnificentiae
1674. Casimiriae ad Cracoviam in off. Balt. Smieszkowicz

Jngens fatigat, ſubq; ſtantis
Veliuolas ſtupet ire puppes
Baſim Coloſſi; nec ſodientium,
Hic mille dextris, marmoreus gemit
Latex, vt aſſurgat ſtupendo,
Memphiticus labor in theatro.
Diuiniores nos agitant, Viris
Curæ Togatis, inuiolabili
Cultu dicatæ, quêis Corynthus
Tota Minor, minor & Pelaſgæ
Conatus artis. Nam Sapientiam
Æternitatis par veneratio,
Vt ſola menſurat, colitq;
Sic operum bonitate ſolâ
Dignè coronat. Sic Tibi, quæ pari
Sudabit vnquam gratia munere,
Præſes Stagyreæ Paleſtræ;
Quem pariter roſa BROSCIANA
Vt purpuratæ tergeminus togæ
Honos, roſeto fecit amabili
Latè fragrantem; Diua cuius
Dulce caput radiante cinxit
Aſtrea ſerto; Teq; Matheſêos
Perenne fecit lumen; vt inclytum
Jn Orbe Nomen BROSCIANVM
Luce Tuâ, calamoq; viuat.
Dilecte magnis mentibus, & Tua
Exceſſit Artes gloria Theſpias,
Flos eruditorum MICHALSKI;
Judicij Tibi lima docti,
Prudensq; pectus, ſeria, perſpicax
Cenſura rerum erudita, quas ſacer
Ambit togatorum Senatus,
Quas cathedræ, meritæq; poſcūt
Per roſtra ſuadæ, totq; laboribus
Probata virtus. Sed Cytharæ decus,
Phœbiq;, Muſarumq; Myſtes
BIEZANOVI, Tibi Pindus ipſe
Acclinat vmbræ Laurigeræ comas;
Eburq; plectri Nobile Roxici,
Tecum coronato reponit,
Caſtalij ſuper axe collis.

Hæc

Hæc cara Phœbo pectora, quis neget
Sublime pondus, donaq; gloriæ
Ærata victuræ mereri?
Solicitâ, vigiliq; curâ,
Dum literatis mentibus arduum
Triuère callem; remq; decemplici
Fecère ſudatam labore,
Jngenuæ ſimulachra mentis
Stent vt Theatro digna Academico,
Orbiq; magnis nominibus parem
Famam loquantur. quæ perenni
Ex meritis animata Veſtris,
Viri eruditi vos feret impetu;
Æuumq; longâ Vos ſerie leget,
Non ære Doctorum, ſed ipſo
Corde ſuper meruiſſe ſcribi.

I. V. D. FRANCISCO ROLINSKI,

Decore, & fragrantiâ vincit.



COLVMNA è Marmore auguſto, ſub tempus Auguſti Cæſaris, inter Ægyptia metalla inuento, decore naturæ ad omnem pulchritudinem diſpoſito.

MOlis auguſtæ ſeriem Columna
Prima, quæ magno locat in theatro;
Fas, vt auguſto tibi dedicata
Marmore ſurgat.
Omnium vernans roſa Gratiarum,
Dulce ſpectâclum viridantis horti,
Purpuræ caſtum decus innocentis,
Floſq; ROLINSKI.

Flore

Flore visendum Caput eminenti,
Tollit Hybleis rosa ceu viretis,
Flore sic præstans tua literato,
Gloria vernat.
Jlla præclari merito Parentis
Surgit ad summum; Medicæ Cathedræ
Prima cuî cedit, Senijq; Laurus
Prima Togati.
Jlle Doctorum meruisse fasces,
Laude virtutis, Sapientiæq;
Par fuit, Consul meritusq; Craci
Claret in Vrbe.
Hic Tibi Laudis decus vniuersæ
Flos, & Exemplar; quod vt æmuleris
Jndoles poscit Tua, plena Laudis,
Plena decoris.

II. V.D. CASIMIRO VENCESLAO STRASZYNSKI.

Digna mens *aurea, gemmis.*



Columna Onichina maximi pretii, Romæ olim in Cænaculo Claudii Cæsaris, ad stuporem visenda.

MEns literatis inclyra dotibus,
Gazas vt omnes vincere gemmeas,
Censetur, & quidquid fodinis
Ditibus, Jndus, Arabsq; claudit;
Sic per Columnam surgere gemmeam
Digna est, ad Orbis Palladij decus;
Qualem decebat Te mereri,
Cæsarei pretio Metalli

Vir di-

Vir digne; cuius manat ab aureo
Torrente suadæ gemmiferis Latex
Gazis refusus. quem Coronis
Celsus apex faciesq; Regni
Augusta vidit; Roxolanus Leo
Momenta rerum, dum Tibi publica
Commisit; ex votoq; rebus
Censuit esse parem gerendis.
Sed & Sophorum Te Cathedræ sibi
A perspicaci judicio Virum
Optare, STRASZYNSKI videntur;
Jamq; Libro super, Aureus Te
Desponsat Almæ Palladis annulus,
Quo digna gemmis mens tua clauditur.
Nam dona quæuis eleganti;
Jngenio pretiosa cedunt.

III. V.D. MARTINO OSLINSKI.

Decus hoc, ex *templo Honoris.*



Columna è templo Pacis, Vespasiani Imperatoris, omnium pulcherrimo.

SAcrum Pacis Opus, diuite copiâ,
Augustâq; manu nobile, quod vetus
Magnis Imperium struxit honoribus,
Ad pulcherrima Te vocat
OSLINSKI, *Latij munera Principis*
Templum Pacis habes; quod Sapientiæ
Matrem flexanimo nectare dixeris,
Templum Palladis Inclytæ,
In quo verus honos, plenaq; Laureis

Maiestas

Maiestas studij cernitur. hoc amor,
Hoc fecit pietas, grataq́ mens tua,
Ornamenta scientiæ
Sat matura ferens. Hinc geminum decus
Princeps alituum, quod Capiti tuo
Fert pennâ volucri, iustus honos tibi,
Templo mittit ab aureo.
Vernans ingenium, spem facit optimam,
Te post Lauriger os in studio gradus,
Iturum meritis, quo tibi celsius,
Ales Regia præuolat.

IV. V·D IOSEPHO WISNIOWSKI.

Lucis Vesti- *gia sequor.*



Columna è Pario Mauloleis — Marmore, Regum li cato.

A D Solis nitidum iubar,
Respexit pietas eloquij tui
WISNIOWSKI, gemitu graui
Dum solem Patriæ, mens sequitur tua;
Et cum Principis optimi
Occasu, tetricis nubibus horridam
Eclypsim dolet, Arcticis
Heu mœstam populis! hæc pietas decet
Artes ingenuas, quibus
Virtus egregiæ mentis ab indole,
Jngens est stimulus boni.
Felix illa tui pectoris arbitra,
Doctrinam Comitem sibi
Junxit, cum placidæ flore modestiæ.

Marmor

Marmor te Parium proin,
Maiestatis opus, quod sibi vindicat,
Et flos solis ad aureos
Conuersus radios poscit, vt aureum
Per vestigia lucida
Possis mente iubar perspicuâ sequi.

V. V·D· MATTHIÆ BROCKI·

Suadæ dulce- *dine clarus.*



Columna è Marmore Thebaico, aureis guttis intertincto.

M Armore Thebaico, pulcherrima gloria surgit
Ingenio, BROCKI, nobilitata Tuo.
Dona tibi guttis radiantibus aurea cedant
Est opus; vt pretium constet ab inde tuum.
Nempe velut Marmor, quoties scintillat ab auro
Pulchrius est, faciem sidereamq; refert;
Sic tibi, cum solido radiant in pectore dotes
Egregiæ, calami Lumina totq; tui,
Pulchrior appares, genio formatus ad omne
Oris melliflui, Pieridumq; melos.
Hinc cessêre tibi manantia Symbola melle,
Dulce examen apum, veris amica cohors;
Arboreisq; Comis vernantes vndiq; frondes,
Dona quibus referunt dulcia mellis Apes.
Argumenta tuæ sunt hæc clarissima suadæ,
Quæ tibi quàm dulcis, tàm benè culta sapit,
Parnassiq; Viror, te carmine poscit amœno,
Phœbus cum tetricis, nil habet ingeniis.
Clarus ab ingenio, quam sis, & ab Arte futurus;
Ex alto rutili sideris omen habe.

VI. V·D· CHRISTOPHORO KRZYKAWSKI.

Vigilans pru- dentia regnat.

Columna è marmore Ægyptio, omnium nobilissimo.



AMphiteatrales inter Magnete Columnas
Natiuo struxisse tibi, lectissima dona
Ægyptus voluit, dilecta Matheseos olim
Artibus eximiis; quarum tibi cura KRZYKAWSKI,
Et studium feruens; nam cêu Magnetica virtus,
Arcano rapitur tractu, stellamq; Polarem
Respicit æthereis sic rebus semper amica
Vrania, cæleste genus, radiantia spectat
Sidera, perq; Polum diuinâ mente moratur.
Huc animum trahit illa tuum; cui serius in te
Iudicii vigor est, & mens collecta, sibiq;
In studio præsens, oculoq; simillima terso.
Peruigil ergo tibi, tua quem facundia dixit,
Seruiat hic oculus, sceptri fastigia seruans;
Excubat humani generis prudentia rectrix.
Cêu pupilla oculi non conniuentibus vnquam
Palpebris; quæ clara tuæ vestigia mentis
Exprimit, intentumq; animum prudentibus actis.
Hic te maturum faciet, carumq; Togatis
Inseret ille viris, & vim magnetis habebit.

VII. V.D. IOANNI TVCZĘPSKI.

Sapientis, possessio firma.

Columna ex Amiantho, nullis ignibus superabili.



Altis

ALtis quæ posuit mænia rupibus
Arx inuicta manet, mille periculis
Semper nescia vinci,
Armorumq; potentiâ.
Non nutante situ maior, & Hectoras
Ipsos despiciens, quod sapientiæ
Felix Symbolon à te
Facundo obsequio datum est
TVCZEPSKI. Solidum namq; bonum tibi
Hæc est visa, bonis carior omnibus,
Quando despicit omnes
Casus, solaq; possidet
Jmmortale bonum, hinc ex Amianthea
Surgit mole decus, quod tibi congruit;
Jllud quippe domari,
Nullis creditur ignibus.
Hæc est integritas pectoris optimi,
Hæc est grata Deo pax animi tui;
Quæ cum Pallade docta,
Est possessio maxima.

IX. V.D. JOANNI ALBERTO ZOŁWINSKI.

Dignus Coronâ, qui zelat pro Corona.

Columna ex Alabastrite Damasceno, niuei coloris.



PVris amicum te Niuibus decus,
Jnter Columnas poscit, ab vltimis

E Terræ

10

Terræ Damaſcenæ fodinis,
Quæ Syriæ Caput, inter omnes.
Sublime tollit, delicias bonæ.
Fecunditatis. namq; Alabaſtritis
Candore ZOŁWINSKI, decoro
Lucida mens, niueumq; pectus
Tuum relucet: quod benè moribus
Matura cultis, dum grauitas regit,
Ad eruditos apta ſenſus
Compoſitæ, placidæq; mentis
Signat quietem. quæ voluit tamen
Oris diſerto munere, Lechici
Zelare pro Regni Corona
Dum Patriæ loquitur ſalutem,
Vrgetq; Ciues vindice dexterâ
Thrax vt fatiſcat. Zelus hic optimo
Dignus coronari metallo,
Palladiam tibi fert Coronam.

X. V.D. IOAN. ZAIACZKOWICZ.

Niueus fert *Lilia Candor.*

Columna è mar- Aſiæ, candore



more Coralitico proximo Ebori.

J *Nnocens pignus tibi fert Columba,*
Lilium candens quod in ore geſtat,
Dotibus flos hic niueis, tuoq;
Pectore dignus.
Indoles vernans tua Liliorum
Explicat cultam faciem, niuemq;
Mentis internam loquitur, probiq;
Ora Parentis.

Ille

Ille te Muſis dedit auſpicato
Flore virtutum; facilemq; doctis
Pallas inuenit ſtudijs, togatâ
Frondeq; dignum.
Quippe naturæ fauet ipſe vultûs
Flos verecundi, fauet & diſerti
Comitas oris, placidumq; ſpirans
Suada IOANNEM
Hoc ebur mentis tibi ſignat ipſa,
Marmoris præſtans Aſiæ Columna,
Candidus viuas, opus eſt, quod à te
Candida poſcunt.

XI. V.D. IACOBO ZAIACZKOWIC

Sic mentis *oculus in te.*

Columna cælata inter 127. Columnas, Templi Dianæ Epheſinæ, præſtantiſſima.



I Mpenſis Aſiæ, priſca quod inclytum
Ætas fecit opus, totq; ſtuporibus
Mentes attonitas reddidit, vnico
Omnem vincere gloriam
Dianæ ſolio nixa, tibi ſuum
Jmmortale decus ſacraq; marmora
Ex virtute dicat. Cum nitidiſſima
Lux animi tui
Jn ſolis radio fixa, retorqueat
Nunquam judicij Lumina ſerij;
Vt proles Aquilæ vera, capacibus
Admittens oculis iubar.
Felix ingenio, pectore candidus,
Ætatiſq; virens flore tenerrimo,

Ad

Ad lucis faciem crescere publicam,
Dotes egregias habens,
Insigni poteris, Luce animi tui;
Quæ ZAIĄCZKOVij nominis in tua
Augem laude feret; quam generosior
Tollet mens tua clariùs.

XII. V.D. CHRISTOPHORO GRZY-BOWSKI

Consilium, & Elo- quentiæ firmat.

Columna Hy- mettia pretiosa, à
Lucio CrassoOra- tore, Romam pri-
mùm inducta.



Firmata rebus gloria publicis,
Tuo GRZYBOWSKI, Herculeas tulit
Labore felici Columnas;
Eloquio stabilire docto,
Regum perennes, dum placuit tibi
Bases, & altæ fulcra potentiæ,
Bino Columnarum Mineruæ
Cardine, consilio, simulq;
Oris diserti, munere cælico.
Hâc mole constant Jmperia, & suis
Firmata momentis perennant,
Quod solidæ tua suada mentis,
Doctè probauit. nam gemino quoq;
Togata fulcro vis tua nititur
Virtutis, & fidi laboris.
Vnde tibi species Hymetti
Augusta cedit marmoris, vt Labor
Quod eruditus, quod probitas tua
Firmauit; immortale tandem
A triplici vigeat Columna.

XIII.

XIII. V.D. JOANNI EKART.

Docta matu- ritas inclarescit.

Columna è mar- more Numidico,
summa arte cru- stato, Regum Pa-
latiis maximè electo.



Ingenii vis culta tui, maturaq; virtus
Poscit ab Empyreis cælestia munera dextris,
Floribus insignem, cum plena messe Coronam,
Maturis virtute tuâ, quæ constat aristis.
Hæc animi solenne tui fert Symbolon, EKART;
Quippe tibi pectus sapiens, solidoq; labori,
Constantiq; aptum studio; seu celsa Sophorum
Pulpita te poscant, seu suadæ rostra disertæ.
Dotibus ingenii mansuris gloria viuax
Quæritur, & studium quod maturescit ad alta
Certiùs assurgit, dignum quod clareat olim
Sidereis cinctum radiis. sic spondet abundè
Integer & constans animus, sitiensq; decori
Nominis; vnde tibi laudis pulcherrima surgunt
Symbola, de Numidum præstantia Marmore dona.
Elegêre illud, præcelsa palatia Regum,
Artis ob eximium specimen; sed nec minor in te
Est virtus, dilecta viris, electaq; magnis;
Quæ cum maturos sapiat clarissima fructus,
Palladis eximio magis inclarescet honore.

XIIII. V.D. GREGORIO ŁAGOWICZ

F   Dona

Dona tua, *ad te redeunt.*



Columna Thasia, Versicolori marmore nobilitata.

L*Aurum tergeminam, suada dedit tua*
Heroum Capiti; Bistonicis vbi
Immortale trophæis,
Nuper Sarmaticum decus,
Concussit tumidæ cornua Thraciæ,
Hostiliq; Tyram Sanguine proluit;
Hîc tu surgere ternas,
Magnæ mentis adoreas,
Fecisti Patriæ Ciuibus optimis.
Hæc ad te redeunt munera gloriæ,
Tanto sanguine partæ,
Dilectumq; caput petunt.
Tu Lauru decoras Martia tempora;
Te Pallas meritis cingit honoribus,
Pacatiq; triumphi,
Insignem tibi Lauream
Confert, cum Thasio marmore; quo super
Doctrinæ varius splendor, & ingenij
Culto pectore fulgens;
Spectatur bonitas tui.

XV. V. D. GASPARO CIECHANOWSKI.

Constan

Constantem ani- *mum non movent.*




Columna Hetrusca, ex Italico Porsenæ Regis Labyrintho.

VIrtus, quod stabili gradu
Mansurum posuit, nulla periculi
Tempestas grauibus tulit,
Formidanda malis. noxius Æoli,
Quamuis turbine maximo
Instructus toties succubuit furor;
Dum tot secula frondibus
Inuictis numerat quercûs, & impetus
Vani fulmina sustinet.
Sic mens illa tui pectoris inclyta,
Vincit robore masculo;
Quidquid Palladijs sueuit in Artibus,
Perplexum dari, & arduum.
Hæc est laus operis pulchra CIECHANOVI,
Constans propositi decus
Cæptum, continuis ferre laboribus.
Non te dimoueat gradu,
Quidquid difficile est; stabit in arduo
Clari gloria nominis,
Hetruscoq; tibi marmore seruiet.

XVI. V. D. STANISLAO SPINEK.

Vtriq;

Vtriq; à Sapientia splendor.



Columna è marmore Alabandico, ad purpuræ aspectum inclinante.

PVrpureo sublime decus, quod fulget in Ostro,
Marmoris eximii, nobile munus habet.
Hæc tibi debetur SPINEK, cum flore venustas;
Hæc decet ætatem, purpura prima tuam.
Illa tibi referet, quantum pulcherrima virtus
A teneris valeat, quàmq; sit apta tibi;
Si tua respicias exordia clara Parentis;
Si tibi sit tanti nomen imago Viri.
Hic Themidis quondam speculũ, Consiq; voluptas,
Iudicii fuerat, consiliiq; penu;
Vir summâ virtute animi consultus in omni
Responso, plusquam Delphica norma fuit.
Nominis hic tanti stimulus, calcarq; perenne
Esse tibi debet, quodq; imiteris, habes.
Indolis egregiæ satis est, præstantia culti
Ingenii viuax, seria mensq; tibi;
Argumenta Sophûm, perplexaq; Dogmata promptè
Concipis, & soluis dexteritate pari.
Et quoniam Lechicæ suffragia docta Coronæ
Contuleras, cedit bina Corona tibi;
Iridis hanc ambit specie sapientia; nempè
Quæ sapit, hæc verè sola Corona nitet.

XVII. V.D. STANISL: MANDECKI

Volabit, quia diligit.



Columna è Labyintho Dædaleo Cretensi.

Cor

COr eruditum, quod sapientiæ
Amore flagrat, tollitur alite
Pennâ, volaturumq; latè
Dædaleæ, sibi vellet Artis
Fauere curas; Cælica nubibus
Si fors sub ipsis, dextra Librum ferat
Volabit; ardorem, sitimq;
Non aliter, nisi literatâ
Quiete tollens. hoc tibi seruiat,
Ad eruditi symbola pectoris
Alas habens cor; quod decoro
Jre cupit per aperta lapsu;
Ad vsq; plenæ dona scientiæ,
Doctrina pennas Dædaleas tibi,
Et Ars, & ex Musis profectus,
Jngenio dedit eleganti.
Aptabit ergo, cor sapiens tibi
Pennas volucres, quo volet altiùs;
Tecumq; MANDECKI per omnes
Pulcher honos volitabit auras.

XVIII. V.D. FRANCISCO ROGOŻENSKI

Dulcius è pulchro.



Columna ex Ebore Fossili.

APes Rosarum dulcibus pastæ fauis,
Bellarijsq; depluentes Atticis,
Ad eruditæ mentis aptum Symbolon,
Amica votis Pallas obtulit tuis.

Pulchrum

Pulchrum placebat; pulchra te sequi decet,
Sed pulchra melle rariùs suaui pluunt,
Aculeisq; sæpius mordacibus
Amara miscent;tamen pulcherrimum
Decus putasti, quod labore quæritur;
Sed melle manat, dum coronat exitum.
Hoc ex modesti pectoris voto tui
Ortum ROGOŻENSKI; togatæ Palladi
Quod dulce iungas comitatis mustea
Nectar, rosarum suauitate floridâ
Apumq; curis denotasti roscidis.
Pacata mens hæc, omnibus gratiis
Dilecta virtus; quæ proinde eburneam
Ponit Columnam, pulchra pulchris fœdere
Jungens perenni; quò tibi feliciùs,
Apes secundis adlaborent Laureis.

XIX· V·D. MARTINO GAIECKI.

Ex quo hauris, fontem tuum corona.



Columna è celeberrimis Apollinei Delphici Templi columnis.

Fontibus Aoniis, felix Parnassia rupes,
Nectaris, Ambrosiæq; perennes.
Quotquot habet Latices, in fontem contulit vnum;
Attica tota, penuq; Pelasgum,
Delicias Laciumq; suas, hic contulit omnes;
Vnde tibi benefacta feruntur
GAIECKI. Quid enim nisi fons illimis, amorq;
Pieridûm, Phœbiq; voluptas
Radzki, dulce decus, cultissima gloria suadæ,
Theologæ, sidusq; Cathedræ.
Ille Columna tibi, sed plusquam Delphica Phœbi,
Ille animi Sapientis Imago.
Exem-

Exemplar venerare tuum, fontemq; Corona;
Quod pietas, & iusta meretur
Gratia; quæ fontem non obsignabit apertum;
Sed Latices dabit ire fluentis
Largius effusis. quod tu virtute parabis;
Ingeniumq; labore fideli
Amplius excultum, facies vt nomine claro,
Atq; animi probitate corones.

XX. V.D. MARTINO CASIMIRO SŁOWIKOWSKI

Ad omnia factum.



Columna è Lacedemonio marmore viridi, quod cæteris hilarius est.

QVod Spartana consurgant tibi marmora quæris?
Sint hilares Musæ cur tibi, quære prius.
Iste, SŁOWIKOWSKI, genium qui poscit amœnum
Est color, est viridis gratia cara tibi.
Vernans ingenium, sequitur quoq; gratia vernans;
Hæc est, ex animo ducta Columna tuo
Viuida mens, tetricis inimicaq; nubibus in te,
Omne quod assumit, dulce serenat opus.
Triste supercilium, duri sensumq; Catonis,
Suauius ad placidum, vertit vbiq; iubar.
Ad numeros Phœbi, concentibus omnia doctis
Temperat & curis scit posuisse modum.
Sic faciles Musas animo, studioq; fauentes,
Ingenio promptus, dexter, amœnus habes.
Scilicet hoc speculum designat ad omnia factum;
Quod conforme tibi, munera docta ferunt.
Quod virtus studiumq; iubet, quod suadet honestum;
Omnia te facilem, compositumq; decent.
Sic age, sis speculum, sis omnibus omnia factus,
Sit par dexteritas, integritasq; tibi.

XXI.

XXI. V.D. BENEDICTO WILCZEK.

Ab aureo  *seculo fructus.*

Columna ex Amphitheatro Magni Pompeii, Immortalium eius operum, victricibus signis coronata.

IMperii diuinus honos celsissimus ille
Orbis apex, Laciiq; stupor, fastigia WILCZEK.
Admiranda tibi, Pompei vastaq; Magni,
Digna triumphali specie molimina donat,
Illa trophæorum series augusta, penuq;
Grande triumphati toties Orientis, in vno
Cernitur, ingentiq; gemens, & anhela theatro,
Nec spoliis numerum ponit, nec nomina victis
Gentibus, inq; suo reputat miracula censu.
Maiestas operis tanti, victricia suadæ,
Argumenta tua loquitur; quæ maximus Heros,
Vt summâ virtute tulit, gladioq; SOBIESKI
Victor Othomanni nuper; sic ore diserto
Eloquiiq; tui rursus dulcedine victor.
Quippe tibi præstans animus, mens lucida viuax,
Nobilis ingenii vis inclyta, totaq; planè
Aurea. gemmiferi pretioso stemmate digna
Annuli, ob egregias dotes fructusq; decoros
Compositæ mentis; quam tu virtutibus ornas,
Sedulus & constans Patrio similisq; Leoni,
Indole magnanimâ; cuius tu, spes bona, vir es
Aureus ingenio quondam, & virtute futurus.

XXII. V.D. DOMINICO MADERNI.

Felix

Felix Concordia  *vernat.*

Columna ex Circo maximo Iulii Cæsaris, trophæorum eius moles augusta

MArmor Cæsareum, perpetuis tibi
Immortale decus, signat honoribus
MADERNI, Patriæ quod dederit bonum,
Facundam tibi gloriam;
Oris quando tui gratia suaserat,
Contra Threicij fulmina Bosphori,
Pugnaces animos, cordaq; Martia,
Magnos iungere Sarmatas.
Non cessare manus belligeras decet,
Doctas ad gladium; dum Patriæ salus,
Ingentis premitur mole potentiæ;
Dum frendens Oriens minis,
Vltrices furias spirat anhelitu
Vasto. magnanimo pectore tunc opus;
Præstans eloquium, quod voluit tuum,
Et mentis generositas.
Concordes igitur, quæ tibi dexteras
Laurus consociat; te Patrij soli
Vernanti faciat crescere gloriæ,
Doctas inter adoreas.

XXIII. V.D. ALBERTO KRVPSKI.

H Et

Et bello, & pace  *virebit.*

Columna ex ludis tam victoriæ, & minis Olympicis, ad me- Coronidem certa- posita.

C Edit insignis tibi iam Columna,
Exitu felix, celebrata quondam
Quæ stetit Graiûm populis, supremi
Meta laboris.
Jlla victrices stadio quadrigas,
Et triumphales requiêsse currus,
Ad coronati pretiosa fecit
Munera Ludi.
Sed Theatrales Operis togati
Terminat curas, tua meta KRVPSKI,
Tot Coronarum decus, & triumphos
Claudere digna.
Os tibi cultum, dedit eloquentis
Gratiæ nectar; dedit eruditi
Carminis Phœbus numeros, Lyræq;
Barbita doctæ.
Laureas ergo quoniam virentes
Pace dixisti, pariterq; bello;
Floreat semper, tua Laureatæ
Meta Columnæ.

VIII.

V. & R.D. SIMONI ERASMO SIERZYCKI.

ORD: CAN: REG: SS: SEPVLCHRI D. HIEROSOLYMITANI,
Conuentûs Miechouiensis PROFESSO.

Secun-

SECVNDÆ LAVREÆ CANDIDATO,
AVTHORI OPERIS,
Jn Argumentum mutui affectûs, & gratulatorij applausûs,

CASIMIRVS VENCESLAVS STRASZYNSKI.

Ejusdem Laureæ CANDIDATVS,

Offert, D.Cq;.

Zelus pro vtroq;  *& Corona.*

Columna è marmore Porphyrite, rubei coloris, pretii inter marmora præcipui.

A Lta Columnarum, prisci sub imagine secli,
Visendo per te series deducta theatro,
Ardua felicis cùm iam molimina dextræ
Finiit; inq; operis puncto secura quieuit;
Laus tua Te sequitur SIERZYCKI, totaq; molis
Gloria perfectæ, consumatique laboris,
Te sibi Porphyreo tandem cum marmore poscit.
Purpureus color hic, roseo de sanguine manat,
Quem tua CRVX præfert. hæc omnibus vna triumphis
Est potior, vincitq; omnes hæc sola Columnas;
Numinis immensi pondus, pretiumque redempti
Orbis quæ tulerat. Sed quàm Tibi purpura flagrat
Ad pietatis opus, quàm CORDIS flammeus ardet
Zelus amore Crucis; studii tàm feruet amore.
Inclyta mens, sequiturq; veros haud dispare passu;
Quos tuus Ordo sacer, victuro nomine claros;
Et summa virtute dedit; lauruque decoros.
Ergò super rubeæ fastigia celsa Columnæ,
CRVX pietate Tibi, docto sapientia LIBRO.
COR paribus flammis succendens, fulgeat intrà
Laurifera nexam Musarum fronde CORONAM;
Clarus vt ingenio, doctrinæ munere felix,
Integritate animi, cordis probitateque præstans;
Hoc operis mereare tui molimine docto;
Ordinis vt fias inter lectissima corda,
Totque perennantes inter, stabilesque Columnas,
Ipse Tibi magnum, solidâ virtute Theatrum.

Eidem

EIDEM AVTHORI OPERIS,

JOSEPHVS WISNIOWSKI.

Ejusdem Secundæ Laureæ Candidatus, in pignus boni affectûs, mutuum grati pectoris Symbolum depromit, & offert.

Lux intrò ,  *foriúq;*

ELoquij, calamiq; tui, quod porrigis Orbi,
Judicio Vatum, grande laboris opus;
Digna Togatorum præstantis mole Theatri,
Tergeminâ radians luce, corona decet,
CRVX illi solare jubar, CRVX aurea lampas;
Quæ vitæ fontem, corq; salutis habet.
CYNTHIA, quæ densas dispellit nocte tenebras,
Jngenij signat lucida dona tui
Arcanis dilecta Sophûm. sed in JRIDE quotquot
Effingit varius Symbola pulchra color,
Tot tibi sunt dotes animi, tot digna coronis
Munera, quæ Phœbi Laurus amica probat.
Omnia SIERZYCKI sunt in te lucida; seu te
Diua sibi Pietas, seu Toga docta velit,
Vndiq; sic donis, sic laudibus vndiq; cinctus,
Dignus eras tantæ condere molis opus.
Publica LVX in quo resplendens INTRO FORISQ;,
Jmmortale tibi nomen inOrbe dabit.
Sic precor, & voveo, Vates, & optime Mystes,
Ordinis esto decus, gloria, luxq; tui.

Eundem

EVNDEM OPERIS AVCTOREM,

MATHIAS BROCKI.

Ejusdem Laureæ CANDIDATVS,
Amici pectoris Symbolo, Apollinari applausu expresso, Prosequitur.

VIctura docto munere nomina,
Quæ dextra signat, digna perennibus
Florere seclis ? quæ columnas
Vis calami, veteresque moles
Nouis in altum tollit honoribus,
Vrgetq; dextrè ? nouimus incliti
Opus laboris, nouimus, quod
Ordo tulit sacer, ac amicus
Craci Lyceo, cordaque cordibus
Nostris coarctans; sceptra prout Cruci
Junguntur arctè; nempe mentis
Cura tuæ, dedit hoc Theatrum
Præclare Vates. delicium cui
Sunt plectra Phœbi, Thespiadum choris
Immista; quèis non Amphionis
Heptapylon stetit; ast togati
Orbis columnæ; marmore nobili
Non tam stupendæ, quàm genio tuo
Exasciatæ. quas proinde
Enthea mens, solidumq; pectus
Habebit olim, munere pro sacro
Grates refusas ? posthuma gloria
Sequetur illud, laudibusque,
Jngenii, calamique dotes
Tuæ virebunt. Nam Phidiæ velut
Famam, perennis tractus vt ambiat
Æternitatis, mira cunctis,
Cecropiæ facit ara Diuæ:
Sic orbe coram, grande negotium
Tuum, loquetur nomen amabile;
Æuoque victurum perenni,
Marmoreis feret in Columnis.

I SVB



SVB FELICIBVS AVSPICIIS,

MAGNIFICI, PERILLVSTRIS,

ET ADMODVM REVERENDI DOMINI,

M. ALBERTI ŁANCVCKI.

I. V. DOCTORIS, & PROFESSORIS,

ECCLESIÆ CATHEDRALIS CRAC: CANONICI ELECTI,
Collegiatarum, Pilecen: Archidiaconi, SS: Omnium Cancellarii,
S. Michaëlis in Arce Cracouiensi Canonici, Curati Luboricensis,
Canonizationis B. JOANNIS CANTII Procuratoris,
S. R. M. SECRETARII;

Nec non

Almæ Studiorum Vniuersitatis Cracouiensis,
GENERALIS, ET VIGILANTISSIMI
RECTORIS.